

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Pulvillos Et Pepla Prophetissarum

**Schmidt, Johann Andreas
Trumph, Heinrich Wilhelm**

[S.l.], 1713

VD18 11649178

§. 7.

[urn:nbn:de:bsz:31-130600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130600)

respicere arbitratur vim verbi תפר, quod proprie intertexere significat, ut patet ex eo, quod per illud primi parentes dicuntur *consuisse*, id est, intertexuisse *folia ficus* (cum consui non possint) & *fecisse sibi perizomata*. Ex qua significatione sequitur, mulierum illarum opus nontelæ vel stragulorum futuram fuisse, sed ramusculorum concinnationem, qualia Philo lib. de vita contemplativa scribit fuisse Therapeutarum (quos quoque prophetarum genus & eorum mulieres Therapeutides prophetides extitisse vult) lectisternia, nempe *tegetes rudese vili contextas materia, e papyro indigena; sic buemi aggestas, ut eminendo fulcirent cubitos*: qualia etiam Rex Josias 2. Reg. 23. v. 7. e templo ejecit, quando *destruxit adiculas effeminatorum, quæ erant in domo domini: pro quibus mulieres segebant quasi domunculas luci*, id est ex ramusculis arborum luci.

§. 7 Figuram istorum lectorum quod concernit, eam talem fuisse contendit, quæ habuerit duo clathra, ita ut propheta super clathrum seu cancellum decubuerit, tanquam super culcitram aut stoream, ut simul aliud habuerit super se pro hyperstromate, quod gallice dicitur *ciel du lict*, cælum lecti. Eum in finem diversis capitibus prolixè considerat verba Jacobi Gen. 49. *filium suum dicentis accubantem inter clathra duo*: Deborah Jud. 5. 15. *seq. ut quid accubuisti inter clathra duo ad audiendum sibilum gregum?* & Davidis Ps. 68. 14. *Si dormivissetis inter clathra duo*; atque circa hæc ostendit vocem hebræam שפתים vel cognatam ejus שפתים significare cancellos, & proprie clathra ex ramis seu virgulis arborum texta, Sicut apud Ezechiel. cap. 40. 43. cancellos ferreos seu craticulas, super quas carnes excoctæ ac frustratim incisæ ad tempus reponebantur. Rationes autem cur hoc nomen sit dualis numeri, has dat, quia virgæ ligneæ, aut ferreæ & ramusculi, ex quibus fiunt clathra seu cancelli, reduplicati sunt,

& decussatim transverseque dispositi, vel in quincuncem superpositi foramina relinquentes, per quæ ad spectus admittitur, sed prohibetur accessus: præsertim vero quia duplex erat clathrum propheticum.

§. 8. Usus vero horum sacrorum cubilium fuisse, ut in illo decumberent, qui divina quærebant oracula, passim inveniunt profani scriptores. Ita apud Plautum legitur: *namque incubare te fuerat satius Jovi, qui tibi in jurejurando auxilio fuit*, id est, Lambino exponente, satius fuerat, te in Capitolio, seu templo Jovis Capitolini dormire ad accipiendum responsum super eo quod quæreres. Et ibidem paulo ante: *quis hic leno agrotans incubat in Æsculapii fano?* Nempe quia ægri in templis Æsculapii incubabant, ut saltem in sompniis moniti, aliquid morbi laxamentum aut levamentum ab eo consequerentur. Cicero quoque libro de divinatio. *Atque etiam*, inquit, *qui præerant Lacedæmonii non contenti vigilantibus curis, in Passiphae fano, quod est in agro prope urbem, somniandi causa incubabant.* Hunc vero usum consulendi DEOS cubando & quidem supra arborum ramusculos, divinæ gloriæ æmulum diabolum ex sacris hebræorum in suum regnum, quod apud gentiles late se extendebat, transfuisse idem judicat. Quod ut probet, a Rebecca exemplo orditur, eamque consuleret Deum Gen. 25. e. 22. dormivisse super ramusculos audacter scribit lib. 3. cap. 16. p. 358 Ducem suæ sententiæ adducit Comestorem historiæ scholasticæ autorem Abulensi citatum: *Secundum scholasticam historiam*, inquit ille, *dicitur quod Rebecca ivit ad montem Moria, quem locum sanctum esse credebat, ubi Abraham altare struxerat, cum voluit immolare filium, & factis ibi victimis in holocaustum, posuit se super pelles sacrificiorum, ut in somniis DEI veritatem audiret, sicuti contingebat multis prophetis. Et ne phantasticis somniorum illusionibus falleretur, sed a DEO nuda veritas patere (juxta morem gentium) folia lauri, qua tir-*
podes